

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0406

Sabato 03.08.2002

LETTERA PONTIFICIA ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL V° CENTENARIO DELLA PRIMA MESSA IN HONDURAS (TEGUCIGALPA, 14 AGOSTO 2002)

LETTERA PONTIFICIA ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL V° CENTENARIO DELLA PRIMA MESSA IN HONDURAS (TEGUCIGALPA, 14 AGOSTO 2002)

In data 1° giugno 2002, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Sig. Card. Nicolás de Jesús López Rodríguez, Arcivescovo di Santo Domingo, Inviato Speciale alle celebrazioni del V° Centenario della Prima Messa in Honduras, in programma a Tegucigalpa il 14 agosto 2002.

La Missione che accompagnerà il Card. Nicolás de Jesús López Rodríguez è composta da:

- Rev.do Mons. José Antonio Canales Motiño, Vicario Generale della Diocesi di San Pedro Sula;
- Rev.do Sac. Humberto Reyes Soto, Parroco della Parrocchia dei Santi Arcangeli a Tegucigalpa.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Giovanni Paolo II al Suo Inviato Speciale:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
NICOLAO DE IESU S.R.E. Cardinali LOPEZ RODRIGUEZ
Archiepiscopo Sancti Dominici

Mandatum in ultima cena discipulis a Domino Iesu traditum: "Hoc facite in meam commemorationem" Ecclesia Catholica per saecula fideliter servat, passionis et resurrectionis Christi sacrum mysterium cotidie celebrando ubicumque per orbem terrarum adsunt sacerdotes. Sicut enim iam primi christiani erant "perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione, in fractione panis et orationibus" (*Act* 2,42), ita deinceps factum est: idcirco etiam nos idem mandatum explere pergimus "frangentes panem unum qui pharmacum immortalitatis est, antidotum non moriendi, sed vivendi in Deo per Iesum Christum, medicamentum expellens mala" (S. Ignatius Antiochenus, *Ep. ad Ephesios*, 20,2).

Cum quidem fides catholica quinque ante saecula allata est in Americanam terram, etiam Eucharisticum mysterium illic extemplo est celebratum. Laeto animo igitur accepimus hoc anno catholicam communitatem in

Honduria sollemniter esse celebraturam quingentesimam anniversariam memoriam a primo ibidem litato Eucharistico Sacrificio. Ut eiusmodi eventus, qui haud dubio magni est momenti pro catholicis communitatibus, congrua celebraretur sollemnitate, Conferentia Episcoporum Honduriae, per suum Praesidem Venerabilem Fratrem Nostrum Ansgarium Andream S.R.E. Cardinalem Rodríguez Maradiaga, S.D.B., Archiepiscopum Tegucigalpensem, a Nobis postulavit ut illuc eminentem Praesulem mitteremus ad Personam Nostram gerendam.

Ad praestabile hoc munus explendum destinamus te, Venerabilis Frater Noster, qui probe ostendis sollertem actuositatem in universae Ecclesiae bonum optimeque pascere gregem tuum, teque hasce per Litteras Nostrum **Missum Extraordinarium** constituimus ut vices Nostras agas atque in vigilia sollemnitatis Assumptionis BMV in caelum, die videlicet XIV proximi mensis Augusti, Tegucigalpae sacris celebrationibus praesideas omnesque adstantes Nostro nomine amanter salutes.

Volumus ut, hac oblata occasione, amabiliter cohorteris sacros Pastores, qui sollicite Regnum Dei suis in terris aedificent et faveant semper dignae huius divini Mysterii celebrationi, in quo continenter mors et resurrectio Christi annuntiatur ac futurae gloriae nobis pignus datur. Simulque proficuum his in locis exoptamus novae evangelizationis emolumentum, quo christifideles per Eucharisticum et Marianum cultum ad usque maiorem caritatem et sanctitatem diligenter perducantur.

Scias volumus, Venerabilis Frater Noster, hanc missionem tuam Nos Christo aeterno Sacerdoti maternaque intercessioni Beatae Virginis Mariae, universae Americae Patronae, enixe commendaturos.

Benedictionem demum Apostolicam, supernae gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, nomine Nostro omnibus filiis filiabusque illius aestimabilis Nationis omnibusque hanc singularem commemorationem devote participantibus peramanter largiaris velimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die IX mensis Iulii, anno MMII, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.

IOANNES PAULUS II

[01251-01.02]
